

# M E L I S S A

## EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix Responsalis: Diana LICOPPE - avenue de Tervueren, 76-1040 BRUXELLIS

TEL: 02/ 734 55 42

## RECORDATIONES AESTIVAE

De coetibus Latinis, quos hac aestate participavi, pauca referre volo quin etiam paucissima, propter exiguitatem spatii mihi relictii. Iam ante aestatem, i.e. diebus 6-8 m. Maii, optimum triduum Chantilliaci (Chantilly) prope Parisios instituerant Iohannes-Iacobus Bertrand et Patricius Bougy, de quo in superiore fasciculo rettulimus. Fuit occasio utilis disputationis inter coryphaeos Latinitatis vivae et eos qui vivo modo linguam Latinam docent sed non putant linguam ad usum hodiernum pertinere. Recordor animadversionem professoris Fievet Palensis, qui dicebat vixibus Latine conscribi. Hoc vedum est, sed hac in re primi linguam Latinam callent enim non multa Latine perimentis? Quibus non Vita Latina novum supossit, sed etiam docengnam Francogallicam possint de inceptis Fran-Chantillacensi coetu comrunt ut proximo anno semiad suum usum in Francogallia



quicquam novi nostris temporirissimum et maxime dolennoxii sunt ei qui ex officio sed ea uti neglegunt; cur scribunt v.g. de suis exsolum periodicum c.t. cum utilissime trahere tes Europaei qui linignorant certiores fieri cogallicis. Utilissimo moti, participes petivenarium Latinitatis vivae institueretur.

In Finnia etiam hoc anno primum institutum est seminarium Latinitatis vivae ad usum docentium, ab actuosissimis Latinitatis vivae fautoribus, qui in universitate Granivicensi (v. Jyväskylä in media Finnia) litteras Latinas docent: Teiva Oksala, Erico Palmén, Thoma Pekkanen et Gregorio Pitkäranta. Per biduum (3-4 m. Iulii) Granivicum confluit, viginti circiter magistri et praesertim magistrae primum audiverunt acroases Latinas. Rogatus eram ut de motu Latinitatis vivae verba facerem; quae res omnibus fere erat inaudita; nonnulli tamen bene recordabantur doctorem Jaakko Suolahti, ante duos annos vita functum, qui primum conventum Avennionensem a° 1956° participaverat.

Exeunte mense Iulio feliciter actum est Iter Italicum a Fundatione Melissa institutum. Deest locus in nostris paginis ad rem fuse narrandam (quae legi poterit in Voce Latina). Facere tamen non possum quin commemorem professorem Laurum Collard curavisse ut grex noster Latinus Veronae humaniter et honorifice acciperetur ab ipso universitatis rectore, qui nobis donavit universitatis numisma.

Perfecto itinere Italico, statim currendum erat in Bavariam ubi iam incohatae erant Scholae Frisingenses. Licebat archischolarchae professori Valahfrido Stroh gaudere, quia etiam numerosiores hoc anno erant et participes et scholarchae. Ibi monstravi spectaculum televisificum c.t. «Num Mons Cassinus delendus fuerit», ubi verbis Francogallicis substitueramus Latina. Hac occasione iterum patuit huius generis spectaculum multis placere.

Seminarium Vestendense ad litus Belgicum, idemque iam septimum, habebatur medio mense Augusto. Numquam antea tot fuerunt participes; multi venerunt e Francogallia; multi primum seminarium participabant, multi iuvenes intererant. Iterum experiri potui nullam institutionem ad sermonem Latinum vivum discendum

# DE ALICIA IN TERRA MIRABILI

## ET

### DE HUIUS LIBRI AUCTORE LUDOVICO CARROLL

(sequitur)

Cum Ludovicum Carroll, alias Carolum Dodgson, in Melissae n° 30° reliquimus, consilia capiebat de libris Graecis Latinisque legendis; quae consilia sequi non potuisse videtur: «*Consilia mea de libris legendis consummare nequeo; vix tempus mihi est ad institutionem cottidianam parandam.*»

Alia signa subtilia atque de ipsa causa magis significantia adduci possunt: illum diem quo aliquid ingrati ei accidisset «*diem nefastum*» nuncupabat; quo autem aliquid grati, in diario Latine inscribere solebat «*diem mirabilem*», «*diem notabilem*» aut «*diem notandum*». Quo denique aliquid pergratissimum, «*diem creta notandum*». E quo patet linguam Latinam adiunctam esse diebus laetificis, magni aut maximi momenti, quibus valde gavisus erat aut alicuius problematis solutionem invenerat.

Alios libros Carolus noster scripsit, inter quos «*Euclides and his modern rivals*», in quo notiones et problemata quae tantum mathematici tractare solebant sub specie festiva lepidaque divulgare conatus est; ipse Horatii versus adducens in libri prologo dicit:

«*Ridentem dicere verum  
Quid vetat?*»

Ad hanc festivitatem praebendam, Euclidem et eius successores qui suas causas defenderent cum Minoe et Rhadamantho, inferorum iudicibus, composuit, sicut Lucianus in Mortuorum Dialogis iam fecerat.

Aliud exemplum in libro c.t. «*Curiosa Mathematica*» invenitur. Auctor in prima parte de natura rerum mathematicarum loquitur: (T.i.L.a.A.v.) «*Dubium est... provinciam aliam rerum tam dulcem... quam rem mathematicam exstare. Dulcedo et amoenitas eius ponitur in plena certitudine eius eventuum, id quod mens humana supra omnes ingenii facultates et thesauros desiderat. Aliquid tamen pro certo habemus! [animus excitari coepit] Plus lucis! Plus lucis! [trepidatio iam maxima Graecum locum affert] Ἐν δὲ φάει καὶ ὀλεσσον!*»

Carolus anno 1882° factus est Curator Communis Camerae, quo munere functus est per decem annos. Tres libellos illis temporibus conscripsit, e quibus uni titulum Latinum dedit: «*Curiosissima Curatoria, a Rude Donatus*». In litteris quas ad editorem foliorum periodicorum «*Pall Mall Gazette*» de vivisectione animalium, nonnullis sententiis et Latinis et Graecis usus est: «*The syllogism, if it deserves the name, is usually stated thus: Germany has a higher scientific education than England; Germany has a lower average of crime than England; ergo, a scientific education tends to improve moral conduct.*» Fortasse hoc exemplum parvum esse putas; tantum primum est. Sequitur: «*Some old-fashioned logician might perhaps whisper to himself, praemissis particularibus nihil probatur...*» Et paulo post: «*The facts in last week's*

*Spectator have a terrible significance. "Trust no man further than you can see him", they seem to say: Qui vult decipi decipiatur.*» Atque etiam: «*This belief... is absurd a priori.*» Et denique: «*The τέλος τελείον of secular education... is the purest and most unmitigated selfishness...*»

Tot exempla unis in litteris aperte loquuntur de praesentia linguarum classicarum in eius animo et mente. Sed iam illo tempore multi linguam Latinam et Graecam insectabantur. Aliis in litteris ad editorem foliorum periodicorum «*Pall Mall Gazette*» sententiam suam de dsiciplinis discendis mutandis exprimit: (T.i.L.a.A.v.)

«*Nihil hoc significat nisi praetermissio unius e duabus linguis classicis, Latina et Graeca, quae usque ad hunc diem gradum Oxoniae acceptum configurare censebantur... nunc fortasse et lingua Latina et Graeca ambae ex institutione nostra evanescent. Mox fortasse etiam logica, philosophia et historia sequentur.*

Fortasse futuro tempore ii qui nihil nisi «*scientificam*» institutionem umquam acceperunt Oxoniam regent. «*Cur non?*» aliquis interroget; meam parvam experientiam ego afferam, alii corroborent aut refellant.

Fuit haec quondam sententia, bene doctum et educatum hominem lingua propria recte, si non eleganter, uti decere. Nunc dubium est quamdiu hoc discrimen futurum sit validum.

Abhinc nonnullis annis honori mihi fuit nonnullas paginas foliorum periodicorum q.t. «*Anthropological Review*» edendas corrigere. Non dubito quin auctores eminentissimi in provinciis suis fuerint, errata eorum qui aliquid antea nuntiaverant probare potuerint, consenserint novissimum librum Germanicum notiones anno superiore validas tunc falsas esse demonstrare, sed illi viri clari omnino nequibant talia exprimere instrumento simili linguae bene doctae humanae societatis. Numquam antea, ne in foliis periodicis ruralibus quidem, tam calamitosum, tam miserabile exemplum linguae Anglicae legeram...

Expertus sum scientiam naturalem solam non sufficere ad altum cultus gradum accipiendum. Mihi ergo est in animo motum linguarum Latinae et Graecae servandarum excitare extra fines Oxonienses, nam hae duae linguae positae sunt in natura universitariae institutionis.

Nemo putet me harum linguarum professorem esse atque ea de causa talia dicere; rem mathematicam contra, quae inter res scientificas numeratur, plus quam viginti annos docui...

Alumnae Scholae Latinae Bostoniensis licentiam a Carolo aliquando petiverunt foliorum periodicorum suorum, Anglice scriptorum, «*The Jabberwock*» appellandorum. Carolus magno cum gaudio licentiam dedit, et ex illo tempore illa folia magnae curae ei fuerunt. Semel tantum, anno 1888°, aliquid obiecta-

# DE VERSIBUS HORATI IN HYMNUM FUNEBREM MUTATIS

Acroasis in seminario Granivicensi vivae Latinitatis m. Iulio  
et in Feriis Latinis Nicaeae m. Augusto 1989 habita



Namque me silva lupus in Sabina,  
dum meam canto Lalagen et ultra  
terminum curis vagor expeditis  
fugit inermem...

Mira non est res, pavidus quod ille  
porculum silva lupus in Sabina  
voce cornicis vetulae canentem  
fugit inermem!

Inter carmina Horati singularem famam habet id, quod *Integer vitae scelerisque purus* incipit et a poeta vicesimum secundum primi Carminum libri collocatum est. Causa huius celebritatis est, quod initio saeculi undevicesimi - quoniam anno, mihi non satis constat - medicus quidam Germanus, nomine Fridericus Ferdinandus Flemming, duas strophas illius carminis, primam et secundam, hymnum funebrem fecit, cui ipse melodiam composuit. Ita orta est consuetudo has strophas in funeribus cantandi, quae paullatim in Finnam quoque percrebuit. Praecipue prima stropha multifariam usque ad nostram aetatem saepe pro hymno funebri adhibita est. Quo in hymno tamen e rhythmo originali carminis Horatiani vix ullum remanet vestigium:

*Integer vitae scelerisque purus  
non eget Mauris iaculis neque arcu  
nec venentis gravida sagittis,  
Fusce, pharetra.*

Eorum, qui in funeribus hunc hymnum cantare soliti sunt, multi omnino nesciunt, unde versus illi originem trahant. Quin etiam in quodam choro ecclesiastico de hac re peculiarem, ne dicam absurdam altercationem ortam esse tradunt. Unum ex iis, qui in illo choro cantarent, a ceteris forte quaesivisse, num quis eorum reliquas strophas eiusdem carminis umquam audivisset. Negantibus omnibus ipsum memoriter recitavisse:

*Namque me silva lupus in Sabina,  
dum meam canto Lalagen et ultra*

*terminum curis vagor expeditis,  
fugit inermem,*

*quale portentum neque militaris  
Daunias latis alit aesculetis,  
nec Iubae tellus generat, leonum  
arida nutrix.*

*Pone me pigris ubi nulla campis  
arbor aestiva recreatur aura,  
quod latus mundi nebulae malusque  
Iuppiter urget,*

*Pone sub curru nimium propinquit  
solis, in terra domibus negata:  
Dulce ridentem Lalagen amabo,  
dulce loquentem.*

Conclusa recitatione summum primo silentium ortum esse; deinde omnes, qui adessent, indignatos maledicta in eum congerere coepisse: «Nonne te pudet ad hymnum pulcherrimum talia adicere? Quis tibi veniam dedit ista ratione infamandi? Ista quidem blasphemiam est!» Ipsum eos frustra docere conatum esse, quo modo res se haberet: auctorem stropharum, quas modo recitasset, non sese esse, sed Q. Horatium Flaccum, poetam Romanum, cuius a morte iam prope duo milia annorum elapsa essent. Neminem ei aures praebuisse; immo universos sua pietate animatos eum flagitii et blasphemiae accusare perrexisse.

In his, quae relata rettuli, nonnihil rumoribus auctum esse potest; sed fatendum est in patria nostra non deesse homines humanae animi culturae tam

imperitos, qui nullam umquam Horati mentionem fieri audiverint.

Quo autem pacto illud carmen potius amatorium quam sacrum aut religiosum adeo transformatum esset, ut prima pars eius pro hymno funebri adhiberi posset, optimo iure etiam viri docti quaesiverunt. Inter eos Mathias A. Sainio, doctor philosophiae et theologiae nuper vita defunctus, anno 1963 in actis diurnis Granivicensibus «Keski-suomalainen» de hac re commentationem *Skandaali haudalla* (Fumus scandalizatum) inscriptam edidit, cuius haec fuit summa: in moribus nostris multa esse, quae a luce diurna abhorrerent; eius rei insigne exemplum esse carminis illius amatorii pro hymno funebri usum. Ipsum quidem nulli umquam funeri interfuturum, in quo homines memoriam mortui versiculis a poeta Epicureo amasiunculae suae dedicatis celebrarent.

In commentatione sua Sainio etiam, quinam sit sensus et nexus principalis illius carminis, fusius perscrutatus variis id ambagibus obscuris abundare dicit, quas fortasse nemo nisi Aristius Fuscus, quem poeta versu quarto adloquitur, plane intellegere potuerit. Hunc Aristium Fuscum amicissimum Horati fuisse ostendit epistula, quae ita incipit (Epist. I 10, 1-7):

*Urbis amatorem Fuscum salvere iubemus  
ruri amatores. Hac in re scilicet una  
multum dissimiles, at cetera paene gemelli  
fraternis animis, quicquid negat alter, et alter,  
adnuimus pariter. Vetuli notique columbi  
tu nidum servas, ego laudo ruris amoeni  
rivos et musco circumlita saxa nemusque.*

Ex his versibus atque ex alio quodam loco, quo Horatius strictim eius mentionem facit (Sat. I 9, 61), conici potest amicos illos de variis rebus inter se benigne locari consuevisse. Fortasse hoc quoque carmen, quod nunc perscrutamur, nihil est nisi specimen illius mutuae locationis.

Recentiorum temporum homines - in his medicus ille Fridericus Flemming - in ipsa elocutione *integer vitae* nonnihil videntur errasse, cum putarent ea talem hominem ab Horatio designatum esse, qui innocuam vel castam vel pudicam vitam ageret. Talis res profecto in laudatione funebri commemorari solet ac vel in hymnum egregie convenit. At si Horatius pudicitiam vitae canere voluisset, difficile esset intellectu, cur Lalage et quidem risus eius dulcissimus tam conspicuum in carmine locum habeat.

Adiectivum *integer* ex praeverbio privativo *in* et ex verbo *tangere* compositum proprie *intactum* significat vel *eum, qui tangi non potest*. Elocutio *integer vitae* necesse est aliquid designet, quod strophae tertia naturaliter cumuletur vel illustretur. Ac talem significationem reperiemus, si nonnullos alios locos investigaverimus, quibus poetae Romani adiectivum *integer* cum casu genetivo coniungunt.

Satira, in qua Horatius Damasippum secum colloquentem facit (Sat. II 3), duos praebet huius generis locos:

v. 64-65:

*Insanit veteres statuas Damasippus emendo.  
Integer est mentis Damasippi creditor? Esto!*

v. 219-223:

*Quid? Si quis gnatam pro muta devovet agna,  
integer est animi? Ne dixeris! Ergo, ubi prava  
stultitia, hic summa est insantia; qui sceleratus,  
et furiosus erit; quem cepit vitrea fama,  
hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.*

Luce clarius est *integrum mentis* et *integrum animi* his locis non *castum* vel *pudicum*, sed potius *animo incolumem* vel *sanum* significare. Item res se habet in elocutione *integer aevi*, quae bis in Aeneide Vergili (II 638, IX 255) et semel in Metamorphosis Ovidii (IX 441) opponitur ei, qui invalidus aut senio confectus est. Eandem vim habet *integer annorum* apud Statium (Theb. I 415). Itaque ne his quidem locis de castitate aut pudicitia, sed de virium integritate et de iuvenili animi vigore agitur.

Etiam carminis, quo Horatius «dedicatum Apollinem» orat, ultimi versus, etsi adiectivum *integer* sine genetivo continent, digni sunt, qui hic commemorentur (Carm. I 31, 17-20):

*Frui paratis et valido mihi,  
Latue, donec et, precor, integra  
cum mente nec turpem senectam  
degere nec cithara carentem.*

Id scilicet poeta ab Apolline petit, ut sibi in ipsa senectute et corporis valetudinem et animi vigorem servare liceat; *integra cum mente* igitur idem valet atque *incolumi cum mente* vel *salva cum mente* vel *sana cum mente*. Similiter dicit postea Iuvenalis (X 356): *Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano*.

Si elocutionem *integer vitae* pari ratione explicare conamur, strophae illa tertia statim multo magis perspicua fit. Dicere velle videtur poeta virum, qui usque integris sit viribus ac totum se amoribus dederit, ubivis sine armis vagari posse tutum ab omnibus periculis, quae alioquin vitae eius imminere. Huius rei pro testimonio affert lupum, qui in silva Sabina se inermem «curis expeditis» de dulcedine Lalages cantantem fugerit. Quidnam autem sit numen illud occultum vel divinum, quod talem virum adeo protegat, ut omnia mala et omnes ictus fortunae ab eo avertantur, consulto velut subaudiendum relinquit.

Aliquid certe hymno simile in carmine inest. Id iam ex elocutione *sceleris purus* apparet. Haec potius quam *integer vitae*, cui iuxtaposita est, ad probitatem pertinet, videlicet monens unumquemque sincero animo esse debere et cavere, ne aliud in lingua promptum, aliud in pectore clausum habeat. Iocationem tamen Horatius et sibi et aliis permittit. Equidem neminem crediderim tam austerum esse, ut nihil ioci videat in strophae quarta, qua poeta magnitudinem lupi a se in silva Sabina visi describit. Ultima strophae carminis tamquam perorationem faciunt, in qua Horatius pariter locans iurat se usu doctum, sive in pigros campos a malo love vexatos sive in terram prae nimio solis calore non habitabilem incidit, semper amaturum esse Lalagen, puellam «dulce ridentem» et «dulce loquentem».

Quisquis carminibus Horati legendis plus operae dederit, mox animadvertet eum alibi quoque saepe, ut ita dicam, iocosum existere cultorem deorum ac res

sequitur p. 5

minus severas velut divino vestitu induere. Notum est e.g. carmen vicesimum primum libri tertii, in quo «plam testam» vini alloquitur quasi divina veneratione dignam.

Quaeret nunc quispiam: quidnam Horatius carmine, quod Aristio Fusco dedicavit, revera dicere studuit? Dubito an pro certo respondere non possimus. Ipse coniecerim poetam peculiari ratione ei narrare voluisse, quam dulcis esset novissima sua amasiuncula, simulque per iocum dicere regionem rusticam non esse tam periculosam, quam ille «urbis amator» arbitraretur.

Fuscus vero, si pari loco uti voluisset, Horatio, qui in quadam epistula (I 4,16) se «Epicuri de grege porcum» appellat, e.g. huiusmodi versiculis referre potuisset, quidnam sua sententia poetam «integrum vitae» faceret:

*Mira non est res, pavidus quod ille  
porculum silva lupus in Sabina  
voce cornicis vetulae canentem  
fugit inermem!*

vit, cum nota quaedam non visa esset rerum divinarum reverentiam praestare. Sed ad hanc incusationem mollendam alteras litteras misit, ad quas poema «Lectio Latina» appellatum adiunxit.

#### A LESSON IN LATIN

Our Latin books, in motley row,  
Invite us to the task -  
Gay Horace, stately Cicero;  
Yet there's one verb, when once we know,  
No higher skill we ask:  
This ranks all other lore above -  
We've learned "amare" means "to love"!

So hour by hour, from flower to flower,  
We sip the sweets of life:  
Till ah! Too soon the clouds arise,  
And knitted brows and angry eyes  
Proclaim the dawn of strife.  
With half a smile and half a sigh,  
"Amare"! Bitter One! we cry.

Last night we owned, with looks forlorn,  
"Too well the scholar knows  
There is no rose without a thorn"-  
But peace is made! we sing, this morn,  
"No thorn without a rose!"  
Our Latin lesson is complete:  
We've learned that Love is "Bitter-sweet"!

Iohannes-Albertus MORENO-TORTUERO  
Matritensis

Denique redeo ad argumentum, e quo oratio mea digressa est: utrum mutatio versuum Horati in hymnum funebrem pro flagitio aut blasphemia sit habenda necne. Equidem ipse, cum sciam illud carmen longe aliud esse atque hymnum funebrem, nullius umquam mortui memoriam eo cantando honorarem; at si quis sincera ignorantia deceptus ita faciat, non censeam eum flagitii aut blasphemiae condemnandum esse. Habere sua fata libelli dicuntur; quid obstat, quominus idem in carminibus valeat?

Post hymnum Flemmingianum ex eodem carmine feliciores quoque novae versiones natae sunt. Initio nostri saeculi Leevi Madetoja, modulator Finns, ex eo sonoram cantionem polyphonicam fecit. Minus sollemnis est cantio, quam nuper levio re plectro composuit Ianus Novák. His cantionibus, quas ambas e phonocaseta audietis, orationem meam concludo.

Ericus PALMEN  
Finns

#### NOVA PHONOCASETA LATINA A SOCIETATE LATINA PROPONITUR:

#### PHONOCASETA VII DIALOGORUM DE REBUS RECENTIORIBUS


Agitur de balneo, de theatro, de cinematographeo sive cinemateo, de theatro et amphitheatro, de cafea et cafeo, de statione ferroviaria, de ecclesia, de deversorio sive xenodochio. Fontes autem, unde sunt exhibendae hae locutiones vel similes depromptae, accurate copioseque in adnotationibus subiunctis indicantur. Similiter indicatur, unde neologismi numero non nimis multi atque a compluribus Latinitatis bonae bene peritis satis comprobati sumpti sint.

Ipsi autem textus proferuntur a Doctrice Sigride Albert et Doctore Caeleste Eichenseer, qui sunt in studiorum Universitate Saraviensi. Iidem id studuerunt, ut bonum pronuntiatum Latinum exhiberent secundum rationem pronuntiationis restitutae innumerabilibus investigationibus et cognitionibus philologicis recentioribus convenienter stricteque nixae.

Pretium

- phonocasetae (68 minutarum): 12 DM.  
- libelli textualis (57 phagnarum): 8 DM.

SOCIETAS LATINA  
Universität - FR 6.3  
D-6600 Saarbrücken 11



## De titulis nonnullis Mediolanensibus nondum editis

Epigrammata illa quomodo deprehenderim probe memini. Biennio enim ante mense (ni fallor) Iunio studiorum causa Mediolani versabar; sabbato autem mane, cum aditus ad bibliothecas Trivultianam et Ambrosianam non pateret, in publicam me abditurus eram bibliothecam, quae Sormanni in aedibus est comparata. Ad quam cum pervenissem, prae operistitio ingredi sum vetitus. Illud quid sibi vellet non diu sum miratus; intellexi enim me inter Italos versari. Quid facerem? Verisimile erat, asseverantibus bibliothecae custodibus, operistitium non ultra meridiem productum iri. Quare dum in taberna quadam potatoria pocillum caffeeae sorbillo vicum illum urbis vix mihi notum ambulatione antemeridiana lustrare constitui. Modo igitur paucas emensus eram vias, cum aurium usus iudicio odeo alicui appropinquare mihi videbar; nam modi musici eique haud insuaves per apertas fenestras, mane cum esset apricum, edebantur, tirone nescio quo (sic enim coniciebam) claves pulsante. Substiti paulisper auscultaturus. Dum ausculto oculosque circumfero, ecclesiam aedificio ipsi continentem haud ita procul conspexi; ad quam accedere mihi visum est. Etiam si frons aedis nihil pollicebatur quod cum ecclesiis Sancti Ambrosii, Sanctae Mariae Gratiarum, Sancti Mauriti, Sancti Benedicti, cathedrali compararem, introivi tamen ut otiosus. Leniter processi sub tholum. In area autem octastylo, quae erat ante chorum, octo offendi picturas artis barocae, quibus Christus patiens erat depictus; eis autem tabulis pictis tabulas marmoreas vidi suffixas signatasque litterarum notis aureis; quos titulos (infra edendos) oculis hausi commotis et, si eo licet uti verbo, admirabundis...

Post Mediolano reditum libros aliquot excussi, si constaret quis picturarum esset artifex, quis titulum conditor, essentne ipsi typis iam divulgati necne. Christum igitur patientem non unum pictorem non uno tempore expressisse comperi<sup>1</sup>; at inter pictores Daniele Cressi certe esse nominandum<sup>2</sup>. Elogia vero inedita mihi videntur esse, ut quae in Forcellae collectione desiderantur<sup>3</sup>; quis ipsa condiderit incertum; sunt autem qui Celsum Dugnanum, abbatem Mediolanensem eundemque contionatorem celeberrimum<sup>4</sup> auctorem ferant, quod ille in monasterio Sanctae Mariae Passionis (huc enim necopinans me contuleram) vixerit quodque litteras ille Latinas non in gloria

coluerit; Celsus autem ille obiit anno 1628.

Reliquum est ut epigrammata edam<sup>5</sup> moneamque legentes heic non proponi "Viam Crucis" XIV stationibus, verum octo, discretam<sup>6</sup>.

### Adnotationes

(1) Cfr AA.VV., Santa Maria della Passione e il Conservatorio Giuseppe Verdi a Milano (Mediolani, 1981), pp. 147-150 (G. Bora).

(2) Cfr G. Bora, "Cressi, Daniele", in Dizionario biografico degli italiani..., 30 (Romae, 1984), pp. 698-703.

(3) Cfr V. Forcella, Iscrizioni delle chiese e degli altri edifici di Milano dal secolo VIII ai giorni nostri... (Mediolani, 1889-1893), 12 vol.

(4) Cfr Ph. Argelatus, Bibliotheca scriptorum Mediolanensium... (Mediolani, 1745), coll. 562-563 primi tomi.

(5) Orthographiam ad normas revocavi hodiernas.

(6) Cfr AA.VV., Santa Maria della Passione, o.c., pp. 167-168 (C. Costamagna); de "Via crucis": M.J. Picard, "Croix (chemin de la)", in Dictionnaire de spiritualité ascétique et mystique..., 2 (Parisii, 1953), coll. 2576-2606.

### I

#### FLAGRA

IN VMEROS DEI  
INNVNERA CADVNT  
QVIBVS  
QVIS CREDAT PINGI PENICVLIS  
NOTAS AMORIS?  
LINEARI CALAMIS  
CHARACTERES DOLORIS?  
ET SCOPIS IN SCAPVLAS AGNI  
MVNDARI IMMVDVM  
MVNDVM EMENDARI?  
PRO DOLOR  
FLAGELLATVR  
NE FLAGELLEMVR  
FELIX PECCATOR  
SI HISCE EDOCTVS  
FLAGRIS  
MOLLESCAS IN LACRIMAS

II  
EN HOMINVM  
INHVMANTAS  
CONFVSA  
SPINEO REDIMIT SERTO  
REDIMITVM IN CAELIS SIDEREO  
FLORENTIBVS VEPRIBVS  
AEGYPTI MORE  
CORONAT  
FELIX RHAMNVS  
IVRE NON INIVRIA  
ELATVS INTER LIGNA  
SVNT MIHI PRO CORONA  
SPINAE  
TRIBVLI PRO GEMMIS  
VOS ELATA CAPITA  
CVPTIS CORONAS !  
CAPITIS NOSTRI CAPVT ASPICITE  
SVBQVE CAPITE SPINOSO  
PVDEAT CORONARI ROSIS

III  
CHLAMYDE  
COCCINEA PALVDATVM  
SESE REX REGVM OSTENTAT  
DERISVS LACER ET DELVSVS  
NVPTIALEM TEXENS NOBIS  
PVRPVRAM  
EXVTVS IPSE PELLE  
CALAMITOSO  
CALAMI  
SCEPTRO  
SIMVLATE ADORATVR  
A TVRBATA TVRBA TVRPATVR  
LAESVS ET LVSVS  
ILLAESA VOLVNTATE PRO NOBIS  
SAEPE LAEDI ET LVDI  
HEV LVDITVR IN VESTE  
LAEDITVR IN CORPORE  
LECTOR SI LEGIS NEC LVGES  
ES SINE LEGE

IV  
GRANDE  
SPECTACVLVM  
SED SI SPECTET IMPIETAS  
GRANDE LVDIBRIVM  
SI PIETAS  
GRANDE MYSTERIVM  
RIDET IMPIETAS REGEM  
PRO VIRGA REGNI  
LIGNVM  
SVI PORTARE SVPLICII  
VIDET PIETAS REGEM  
BAIVLANTEM  
LIGNVM  
AD SE FIGENDVM  
QVOD  
FIXVRVS ETIAM FVERAT  
IN FRONTIBVS  
REGVM

V  
CLAVVS  
PERFORANS  
CLAVIS RESERANS  
FACTVS EST MIHI  
QVID VIDES PER FORAMEN  
CLAMAT  
CLAVVS  
CLAMAT VVLNVS  
QVOD DEVS IN CHRISTO  
EST MVNDVM  
RECONCILIANS SIBI  
APERIT CLAVIS ET CLAVDIT  
CLAVVS  
DIRIGIT FIGIT ET CORONAT  
FRENAVIT EQVVM  
FRENAVIT SENSVM  
CORONAT  
AVGVSTOS

VI  
QUI FONTES  
EX PETRA ET EX OSSE DEDVXIT  
IN POENAM EBRIETATIS NOSTRAE  
EBRIVS AT AMORE  
SITIQ HEV SITIQ  
CLAMAT  
SATVRANS MELLE POTATVR  
FELLE  
EN POCVLVM SITI PEIVS  
O IMMANITAS  
SITIENTI SITIM AMORIS  
AMARIS ACIDA MISCES !  
LEVIVS EST SITIRE QVAM BIBERE  
SI PETIT VT SIIIT PRAEBE COR  
LECTOR  
SICCVM SICCIS OCVLIS  
SI DEVM CERNIS  
AVT OCVLIS CARES  
AVT CORDE

VII  
QVEM  
NOVVS VENTER  
CONCEPIT  
NOVVS TVMVLVS  
RECEPIT  
ET QVI PRO ALIENA  
MORIEBATVR SALVTE  
IN ALIENO MORABATVR  
SEPVLCRO  
MORS ENIM ILLI NON OBFVIT  
SED NOBIS PROFVIT  
NON ILLI ILLATA EST  
SED NOBIS DELATA  
VTQVID ERGO PROPRIVM  
SEPVLCRVM  
CVI NON PROPRIA MORS ?  
QVORSVM TVMVLVS  
IN TERRIS  
CVI THALAMVS  
IN CAELIS ?

# AB OBLIVIONE VINDICENTUR...

## QUATTUOR VERSIONES LATINAE

### EIUSDEM CARMINIS



#### a. Textus primigenius

##### LA FEUILLE

De ta tige détachée  
pauvre feuille desséchée,  
où vas-tu? - Je n'en sais rien.  
L'orage a brisé le chêne  
qui était mon seul soutien:  
de son inconstante haleine,  
le zéphyr ou l'aquillon  
depuis ce jour me promène  
de la forêt à la plaine,  
de la montagne au vallon.  
Je vais où le vent me mène,  
sans me plaindre ou m'effrayer:  
je vais où va toute chose,  
où va la feuille de rose  
et la feuille de laurier.

Cfr J. Van Dooren, Anthologie des poètes français de France et de l'étranger... (Verviae, 1921<sup>4</sup>), p. 218; R. Chincholle, "Arnault (Antoine-Vincent)", in Dictionnaire de biographie française..., 3 (Parisiis, 1939), col. 901-902. Antonius Vincentius Arnault (Parisiis, 1766-1834) poeta nunc oblitteratus Fontanium imitatus «fabulas» condidit (Parisiis quater editas); quarum supra allata sola videtur clarere. Eiusdem carminis quattuor nobis innotuerunt versiones ante poetae mortem Latine redditae.

#### b. Versio Petri Servan de Sugny

O frons, quae patrio praerepta e caudice marces,  
quo nunc, dic quaeso, quo miseranda fugis?  
-Nescio; fracta facit quercus iactantibus Austris,  
quae mihi praesidium, quae mihi sola salus.  
E monte ad valles, ad montem e vallibus imis  
me Boreae gelidi vis truculenta rapit.  
Huc tendo, quo rapta feror; nec fundo querelas,  
nec mihi fert duros sors inimica metus.  
Scilicet huc tendo, pariter quo cetera tendunt,  
quo lauri atque rosae frons simul acta fugit.

Cfr P. Servan de Sugny, Almanach des Muses latines, an. 1 (Lugduni et Parisiis, 1817), p. 92. Servanus (Lugduni, 1796 - prope Aurelianam, 1831) exemplo Barberii instinctus tres per annos commentarios edidit, q.t. Almanach des Muses latines; idem poeta uber et elegans tentamina sua ipsius haud pauca

commentariis eis lectu dignis inseruit; cfr H. De Laporte, "Servan de Sugny (Pierre-François-Jules)", in Biographie universelle (Michaud)..., 39 (Lipsiae et Parisiis, s.a.<sup>2</sup>), pp. 142-143.

#### c. Versio Desnoieri

Avulsa e ramo, Frons o miseranda, virenti,  
marcida quo vadis? - Quo vadam, nescio: quercum  
maternam columenque meum stravere procellae.  
Inde mihi illudit Zephyrus Boreasve, vagamque  
montibus ad valles, silvis me volvit ad agros;  
nec contra nitor. Quo tendunt omnia, tendo;  
quo fertur pariter folium laurique rosaeque.

Cfr Hermes Romanus ou Mercure latin, par J.N. Barbier-Vémars, 3 (Parisiis, 1817), p. 657. Desnoyers rhetor (i.e. discipulus ultimi anni) erat Falesiae eiusque interpretatio legitur in commentariis q.t. Hermes Romanus quosque edidit Barberius (natus anno 1775); cfr M. Prévost, "Barbier-Vémars (Joseph-Nicolas)", in Dictionnaire de biographie française..., 5 (Parisiis, 1951), col. 348; T. Sacré, "De commentariis menstruis ineunte saeculo XIX Parisiis Latine editis, q.t. «Hermes Romanus»", Vita Latina, num. 105 (m. Mart. 1987), 10-16.

#### d. Versio «C.B.»

O folium viva nuper de fronde revulsum,  
dic age, quo tendis fusco nunc decolor ore?  
-Haud misero mihi certa via est: vertere procellae  
quae me aluit quercum; in valles e collibus altis  
exinde, e silvis in campis deferor, Euri  
vim patior. Venti quo me rapuere ruuntque,  
huc propero; propero quo denique cuncta trahuntur,  
quo folia involtant lauris avulsa rosisque.

Cfr Hermes Romanus, o.c., p. 708. Quis fuerit interpres non liquet.

#### e. Versio Caroli Valentyns

Avulsa ramo marcida  
quo vadis, o frons? - Nescio  
quo vadam ego. Truces meum  
tutamen unicum solo



stravere quercum turbines.  
Illudit hinc Favonius  
Boreasve per vices mihi  
vagamque volvit saltibus  
ad aream campi, montibus  
ad vallis abruptae loca.  
Quo ventus urget, huc peto;  
enitor haud contra; feror  
quo cuncta tendunt, quo rosa  
laurique frondes confluunt.

Cfr commentatiuncula mea c.t. "Caroli Valentyns interpretatio inedita", Tiro, 33 (1987), num. 7/8, p. 4 (mendis typographicis deturpata). Versio manu scripta adservatur Antverpiae (AMVC, V 632) inter epistolas ad Petrum Iosephum Visschers (1804-1861) praeceptorem et parochum datas; quam matris in memoriam anno 1835 fecit Carolus Valentyns, vir rerum neolatinarum peritissimus, qui deinde in ordinem S.I. est ingressus quique cum propter sua ipsius carmina Latina divulgata (velut "Ad reverendum adm. D. Constantinum Van Crombrugghe...", Alosti, 1821; exemplar servatur Bruxellis in bibliotheca regia), tum propter Hosschii et Becani carmina anno 1822 (addito editoris poematio) typis denuo edita de poesi recentiore bene est meritis. Valentinus Desnoieri interpretationem aliquatenus est imitatus; possidebat enim

inter plurimos libros neolatinos Hermetis exemplaria (Antverpiae in bibliotheca studiorum universitatis nunc asservata).

Restat ut unum illud subiungam, quod aliae Arnaulti fabulae Latine interdum sunt versae, velut "Aquila et capo", commentariis inserta q.t. Mercure belge, 8 (Bruxellis, 1819), p. 117 (quae ephemeris a viris doctis iniuria nunc negligitur); interpres autem fuit Iohannes Franciscus Tielemans Bruxellensis (1799-1888), qui deinde ad summos in re publica honores est proventus; idem interpres, cum de terrae motu Calabro (an. 1783) versus ediderit (Mercure belge, 9 (1820), 415-416), addendus est albo poetarum, qui ea de calamitate egere (cfr A. Placanica, "Un terremoto e sedici poeti", in Letteratura fra Centro e Periferia. Studi in memoria di P.A. De Lisio, edd. G. Paparelli et S. Martelli (Pubblic. dell'Univ. di Salerno, Sezione Atti, 15) (Salerni, 1987), pp. 585-640). Commentariis autem, quos dixi, continentur alia scitu lectuve digna, velut commentatiunculae de scriptoribus neolatinis (Hosschio, Wallio, Becano, Puteano, Barlaeo, Clenardo, aliis), Lipsi litterae Francogallice versae, Vidae opuscula in sermonem Gallicum conversa, Livini Meieri carmen de luna incensa celeberrimum notis illustratum, poematia...

Theodoricus SACRE

sequitur p. 7

VIII  
QUOS  
IN CHRISTVM DOLORES  
COEGIT LIVOR  
IN LINTEO  
COLLEGIT AMOR  
VERBERA QVAE VERBIS  
SACER DESCRIPSIT SCRIPTOR  
DIVINVS VVLNERA PINXIT  
CRVORE PICTOR  
HEV SISTE FIDELIS  
LEGE LVGE  
DOLORIS LIVOREM  
LIVORIS PICTVRAM  
PICTORIS AMOREM  
ET IN SACRO  
AMORIS ET DOLORIS  
VEXILLO  
EXPENDE DOLOREM  
REPENDE AMOREM

Theodoricus SACRE

Dr Iosephus Mall

**LATINITATE  
OPTIMA  
ORIGINALI**

non magistrorum  
cum gaudio

**DOCEBIS DISCES  
LINGUAM LATINAM:**  
5.500 formulis, verborum lusibus, sententiis,  
electis e poetis locis

MANFRINI EDITORI

*Doctortis Iosephi Mall novissimum opus in  
Belgio venumdatum a Fundatione Melissa  
(C.C.P.: 000-1484533-45).  
Pretium: 735 FB.*



# INTER EXIMIOS LATINITATIS VIVAE FAUTORES RAINARDUS BRUNE

## *Ubi et quando natus es?*

In vitam veni anno 1914° in Westfaliae oppido cui nomen Unna. Ante ipsum primum bellum mundanum domicilio familiae mutato pueritiam in suburbio Coloniae Agrippinensis peregi, ubi tam de militibus martyribus Romanis matrem narrantem audivi quam de equitibus, qui narrationibus heroicis Germanicis celebrantur.

## *Ubi et quando studia tua fecisti?*

Studiis humanisticis in oppido Schleiden/Eiffla occubui atque post examina finalia (Latine, Francogallice, Graece) scholam artium graphicarum et nuntiorum laudativorum frequentavi linguas Hispanicam et Sueticam addiscens. Tempore belli, cum octo annos militiam meruissem, facultate sermonis Estonici percipiendi fructus sum.

## *Cur tibi singulariter placet lingua Latina?*

Non solum lingua Latina mea interest. Nec quicquam, quae iuvenis et adultus didici, oblivioni tradere paratus inter sermones praedilectos Latinum potissimum diligo, quippe qui venustissimus et vetustissimus claritate, persaepe sobrietate singulari, sed tamen familiaritate quadam amabili excellat.

Oblectamentum singulare sermoni Latino inest, quo teneor, quia inter paucos unus est, qui per multa temporis spatia quoad grammaticen et verborum significationem sine attenuatione idem permanebat, quo factum est, ut his etiam nunc temporibus verum sermonem Ciceronis et Caesaris et omnium Latinitatis aureae scriptorum viva voce proferre et intellegere possimus, id quod cultores aliarum linguarum in somniis desiderant...

Sunt quidem argumenta sensu animoque adducta - insuper autem gentibus Europaeis novam rem publicam condituris lingua communis et supranationalis necessaria est - ad quem finem assequendum lingua Latina est aptissima, quippe quae iam per multa saecula gentibus totius mundi et orientalis et occidentalis instrumentum fuerit administrationis, artium exercendarum, fidei christianae propagandae, mercaturarum faciendarum atque consuetudinis epistularum colendae.

Quae lingua usque valet, vivit, vigore non vacat!

## *Quando primum comperisti de Latinitate viva?*

In actis diurnis Coloniensibus legi Dominum Doctorem Werner editorem esse Vocis Latinae - et tunc non longa via ad Dominum Patrem Caelestem moderatorem, quem noveram iam anno 1973° - nisi fallor - qui mihi animum fecit ad libellum c.t. «Carmina Latina recentiora» divulgandum. Exinde ubi varia naviculae Latinitatis vivae «secat mare» navigo.

## *Iamne antea Latine locutus eras?*

Latine non locutus sum, priusquam interful seminario Saravipontano ante nonnullos annos habitato. Sed schola relicta numquam desii textus Latinos et legere et persaepe sententias proprias stilo Latine mandare. Sic exempli gratia tempore belli diarium et Latine et Francogallice contuli. Verba moderna et militaria ignota vocibus Francogallicis explevi.

## *Quales libros edidisti?*

Non multos - id est: non ita multos ac voluerim.

Egestate temporis cogor, ut finem faciam. De his rebus gravissimis postea; de hac re, si potuerim longius et exactius referre, vestra <sup>o</sup>consensu <sup>u</sup>concessa <sup>o</sup>explanaturus sum.

## *Libri Latini a domo editoria Rainardi Brune editi:*

- Carmina Latina recentiora: collectio carminum poetarum contemporaneorum.
- Genovefae IMME, Transvectio saeculorum: narratio conficta, in certamine Capitolino laudata.
- Renati SAKSA, Lucere ubique lucernas caelestes: narratio de itinere trans Pyrenaeos birota facto; Rochus Habitzky vertit e Germanico in Latinum.
- Renati SAKSA, De Vaspiceto nive velato: narratio e bello Russico, cum versione Germanica.
- SALLMANN/SCHNUR, Acta Treverica 1981: de Roma provinciisque occidentalibus ad septentrionem vergentibus.
- Renati SAKSA, Agedum, eques: sonat ungula - vocat avicula. Carmina Latina, Theodisca, Francogallica.

## POESIS LATINA...

### AD SANCTAM MARIAM

Virginis effigiem contemplor... Sancta Maria, nescio quae possint in caelum ascendere verba nec veterem memini cantum quem in valle remota olim cantabam. Si orare, Piissima, possem, te antiquis precibus vellem venerarier altis, sed puer ille vir est vivendo factus amarus, ipsius et dubius verbi quod concinit hymnus. Haec remanet mihi spes: si contemplatio muta imploratio fit, rursus te imploro et adoro, rursus et alma fides humanum pectus inundat.

Iosephus TUSIANI



# DE NONNULLIS QUAESTIONIBUS OECOLOGICIS

## 1. Multi hodie loquuntur de oecologia; sed quid significat vocabulum «oecologia»?

Oecologia (Angl. «ecology» inde ab a° 1858°, Fr. «écologie» inde ab a° 1874°) est scientia circumiectorum, ubi viventia crescunt propagantque stirpem.

Praecipue indagatur qua ratione singula viventia a ceteris afficiuntur.

Quae cum ita sint, ei inter aequales nostros qui se ipsos vocant «oecologistas» revera agunt de oeconomia circumiectorum hominis, quorum argumenta hauriuntur de oecologiae inventis.

## 2. Quid ergo est oeconomia?

Quo vocabulo complures res designantur:

- imprimis ars rerum administrandarum:
  - oeconomia domestica, quae est ars domus administrandae.
  - oeconomia publica, quae est ars rei publicae administrandae.
- deinde oeconomia politica est scientia quae pertinet ad productionem, distributionem usumque rerum in humana societate.
- hoc vocabulo etiam designatur gestio qua inutiles erogationes vitantur.
- et denique constitutio elementorum cuiusdam rei.

Ergo, cum hodie agitur de regulis instituendis et de legibus imponendis ne nimis spurcentur circumiecta hominis, potius adhibendum est vocabulum «oeconomia naturalis» quam «oecologia».

## 3. Cur aequalibus nostris tanti momenti videtur esse «oeconomia naturalis»?

- Propter substantias directe vel indirecte nocivas, quas gignit humana societas eiusque industria. Quibus enim spurcantur atmosphaera, terrae mariaque.

- Propter transformationem circumiectorum hominis, unde populares nostri timent ne suae condiciones vitae in pelus mutantur. E.g. in regionibus tropicis 60 hectareae silvarum unaquaque minuta caeduntur.

## 4. Quae est causa primaria horum damnorum?

- Quia multitudo hominum in orbe terrarum celeriter augetur.

- Quia cupiditas omnium commoditatum in dies crescit.

## 5. Omnesne pendent circumstantium mutationes ab ipsis hominibus?

Certe non omnes. Scientiā enim, cui nomen palaeontologia, iam diu demonstratur condiciones naturales compluries et vehementer mutatas esse, ignotis de

causis, intra «aetatem quaternariam», per quam crevit homo in terra. Quae aetas orta est circiter ante unum millionem annorum. Etiam propius nos factae sunt mutationes circumiectorum, quae recentioribus scientiis demonstrantur. Quarum una est «palynologia» (e verbo temporali Graeco *παλύνειν*, quo significatur: farinam spargere). Plantarum pollina diutissime integra in solo servantur; hac de causa etiam inveiuntur in vetustioribus soli straturis; microscopio facile agnosci potest ad quas singulas plantarum species pertineant; inde nobis fingere possumus qualla plantarum genera crevissent in variis regionibus decursu temporum. Sic in regionibus Europaeis iuxta mare internum sitis, circiter decem milibus annorum a.C.n., id est exeunte ultima aetate glaciali, plantarum arborumque species eadem erant ac nunc sunt in Sibiria. Sed climate paulatim calidiore facto, eadem regiones sexto millennio a.C.n. conteguntur quercuum silvis.

## 6. Nostrane sola aetate homines circumiecta mutaverunt?

Recentius orta est alia scientia c.n. anthracologia. Nam in effossionibus archaeologicis saepe inveniuntur reliquiae focorum, quos accenderunt homines praehistorici. Reliqui carbones, si microscopio examinantur, ostendunt structuram specificam, qua agnosci potest ad quas arborum species pertineant. Sic scire possumus quali ligno usi sint proavi nostri.

Hoc modo compertum est iam a quarto millennio a.C.n. humanam industriam circumiectorum mutationem acceleravisse. Silvae caeduntur tum ad palos fabricandos, quibus aedificentur domus, cum ad loca agriculturae aptanda. Cum post 15 ad 20 annos agrorum reditus minuatur et domorum pali putrescant, necessarium fit ut agri et vici moveantur, unde nova necessitas silvarum caedendarum. Recenter demonstratum est hoc in tota Gallia factum esse usque ad Romanam administrationem institutam.

Iam diu ergo terrarum aspectus naturalis ab hominibus mutatus est; in initio homines pauci et dispersi se sustentabant venando ferosque fructus legendo, sed iam compluribus milibus annorum a.C.n. incohata est aetas neolithica, qua homines coeperunt agros colere, id est in quadam area ubi naturaliter crescebant multae plantarum species unam tantum colere, ceteris deletis. Sic gradatim factum est ut hodie fere ubique terrarum aspectus naturalis funditus mutatus esset. Agri arvi sive arbusti sive pascui non sunt res naturales, sed res artificiales ab hominibus ordinatae.

Agriculturae pastionisque beneficio in saecula numerosiores facti sunt homines atque extremas etiam

terras incoluerunt.

### 7. Ita mutatis circumiectis, potestne nutriri hominum hodierna multitudo?

Ineunte octavo decennio nostri saeculi, tria miliarda et centum octoginta miliones hominum orbem terrarum incolebant, quorum

- quingenti miliones erant inepte nutriti
- unum miliardum erant famelici.

Talis ergo est condicio dimidia<sup>m</sup> partis hominum, quamquam a sexto huius saeculi decennio frumenti copia bis vel ter aucta esset creatione seminum hybridicorum selectorumque, praecipue siliginis et oryzae, necnon usu laetaminum chemicorum pesticidaliumque.

Haec est prima «*revolutio viridis*», quae dicitur, qua fieri potuit ut reditus singularum hectarearum quattuor milia chiliogrammatum frumenti aequaret.

Hoc tamen non sufficit, ut patet e multitudine famelicorum. Quae cum ita sint, nonne ridiculi videntur ei qui «*naturaliter*» nutriri cupiunt? Quomodo circumiecta naturalia servari possint, cum augeri pergat numerus hominum?

### 8. Quibus artificis biotechnicis mox augebitur reditus agriculturae et pastionis?

Iam altera «*revolutio viridis*» praeparatur. Inventum est quomodo plantarum cellulae in vitro colerentur; e quibus culturis fieri potest ut novae plantae multo celerius crescant quam e seminibus. Hic colendi modus dicitur «*propagatio vegetativa artificiosa*» vel «*reproductio asexualis artificialis*». Plantae quae oriuntur e singulis cellularum culturis sunt inter se omnino similes. Omne quod constat e plantis ortis ex una cellularum cultura vocatur «*clonum*». Clona quae videbuntur aptiora esse ad usum agriculturae seligentur et multiplicabuntur.

Agricolae iam non seminibus egebunt sed «*clonatis*» plantulis. Novus digressus a naturalibus condicionibus!

Recentius inventa est nova biotechnica, quae vocatur «*hybridatio somatica*». Qua efficitur ut protoplasma cuiusdam varietatis plantae edomitae commiscatur cum protoplasma varietatis ferae. In vitro colitur hoc protoplasma commixtum et, res mirabilis, gignitur planta quae qualitates habet ambarum varietatum. Sic hybridatio facta est sine seminibus id est sine cellulis quae pertinent ad germen sed per cellulas quae pertinent ad soma; unde nomen «*hybridatio somatica*». Qua nova biotechnica agrorum proventus, ut sperant, quinis vel denis partibus centesimis augebitur.

Biotechnologia etiam pertinet ad pastionem. Selectio genetica animalium iam facilius facta est inseminatione artificiali. Eorum proventus etiam multum augetur aptior alimento. In America septentrionali e.g. annuus proventus lactis singularum vaccarum est sex milium chiliogrammatum et quadringentorum; in nonnullis pecuariis ad decem milia chiliogrammatum augetur. Contra in Africa proventus tantum est quingentorum chiliogrammatum.

Multa leguntur in diariis de hormonis, quae illicite adhibentur in pecuariis faciendis. Tamen societas Americana «*Genentech*» fabricat «*hormonum incre-*

menti bubulum»; eius usus augebit proventus lactis quinis denis partibus centesimis. Mox in promptu erunt hormona incrementi suilla et gallinacea, quibus proventus carnis et ovorum etiam augebitur.

Non solum iam solita facta est inseminatio artificialis, sed nunc etiam fieri potest fecundatio in vitro; embryones hoc modo orti congelantur in nitrogenio liquido (-197° C); sic facile servari et quocumque transportari possunt. Quibus facilitatibus pecuaria ubique meliora fieri poterunt.

Multa alia etiam mirabilia narrari possunt de biotechnologia.

Ad concludendum dicam hominis circumiecta in orbe terrarum iam diu non esse «*naturalia*» atque in dies minus naturalia fore. Maxime spurcantur circumstantia infinito incremento hominum. Quae cum ita sint, nonne videntur obsoletae ineptaeque hae sententiae quae leguntur in Vetere Testamento (Gn 1,28): «*Crescite et multiplicamini et replete terram et subcitate eam*» et in Corano (2,223) «*Uxores sunt agrum conserendi: ite ad agrum vestrum*».

Galus LICOPPE

### LEXICON

- *anthracologia, ae*: anthracologie.
- *asexualis, is, e*: asexué, geschlechtslos.
- *cellula, ae f.*: cellule, Zelle, cell (Lexicon Medicum, Warsaw 1971).
- *chemicus, a, um*: chimique, chemisch, chemical (Mittelateinisches Wörterbuch, Berlin-München 1959).
- *clonum, i n.*: clone.
- *circumiecta, orum n.*: environnement, Umwelt, environment (Tac. Ann. 1,21).
- *hectarea, ae f.*: hectare, Hektar, hectare (C. Helfer, Lexicon auxiliare, Saarbrücken 1985).
- *hormonum, i n.*: hormone, Hormon, hormone (Lexicon Medicum, Warsaw 1971).
- *hybridatio, onis f.*: hybridation, Zwitterbildung, hybridization.
- *inseminatio, onis f.*: insémination, Insemination, insemination (Lexicon Medicum, Warsaw 1971).
- *microscopium, ii n.*: microscope, Mikroskop, microscope (C. Helfer, Lexicon auxiliare, Saarbrücken 1985).
- *neolithicus, a, um*: néolithique, neolithisch, neolithic.
- *oecologia, ae f.*: écologie, Ökologie, ecology (C. Helfer, Lexicon auxiliare, Saarbrücken 1985).
- *nitrogenium, ii n.*: nitrogène, Stickstoff (C. Helfer, Lexicon auxiliare, Saarbrücken 1985).
- *palynologia, ae*: palynologie.
- *pesticidale, is n.*: pesticide, Pestizid (C. Helfer, Lexicon auxiliare, Saarbrücken 1985).
- *protoplasma, atis n.*: protoplasme, Protoplasma, protoplasm (Lexicon Medicum, Warsaw 1971).



# SIMPLICISSIME

quomodo varia exprimantur


## DE SERMONE VALLONICO

Dialectus Vallonica non exstat! asseverat Carolus Josserand (*Le wallon, langue de la Wallonie*, Leodii 1988). Vel potius, non exstat una dialectus sed complures sermones eiusdem familiae. Ergo dialectus Vallonica est summa sermonum Romanicorum qui praeter linguam Francogallicam in Belgica sunt in usu. Dialectologi tamen ex hac definitione excludunt nonnullos sermones: Picardum, Campanensem atque Lotharingicum.

Dialectologi in dialecto Vallonica distinguunt quattuor sermones:

- Namurcensem: in parte orientali Brabantiae provinciaeque Namurcensis.
- Vallonico-Picardum: in parte occidentali Brabantiae provinciaeque Namurcensis.
- Leodiensem: in provincia Leodiensi et in parte septentrionali provinciae Luxemburgensis.
- Vallonico-Lotharingicum: in reliqua provincia Luxemburgensi.

Ceterum hac mappa geographica res melius apparebit:



Praehistoria atque historia dialecti Vallonicae coniuncta est cum historia aliarum dialectorum Gallico-Romanicarum, inter quas Francogallica. Res incohatur in Gallia, primo saeculo a.C.n. Pars orientalis regionis meridionalis ab anno 116 iam est provincia Romana. Homines Gallice loquuntur: quae lingua Gallica origine est Celtica. Post Caesaris expeditiones territorium factum est Romanum, sed lingua Latina lente disseminatur atque quarto tantum saeculo

p.C.n. revera imponitur. Franci autem iam a tertio saeculo Galliam invadunt atque regiones nostras circa annum 450 domant. Inde in linguam inducuntur elementa Germanica. Lingua Latina paulatim corrupta, octavo saeculo nova lingua c.n. Romanica iam est in usu.

Haec lingua iam ab initio variat in diversis regionibus, in quibus basis Gallica, Latinitas et elementa Germanica pondus habent varium. Inde nascuntur complures dialecti quae divisae sunt in tres familias:

- familia linguae c.n. «oil»: in septentrionali parte Francogalliae.
- familia linguae c.n. «oc»: in meridionali parte Francogalliae.
- familia linguae Franco-Provincialis: in media parte.

Vallonia sita est in territorio linguae c.n. «oil». Quo tempore nascitur dialectus Vallonica? Nemo certo scit, sed elementa huius sermonis propria apparent ante annum 800. Ineunte XIII saeculo iam bene est constituta.

Ceterum alia dialectus eiusdem familiae fortunam clarissimam <sup>habitu a ~~erat~~</sup> ~~habebit~~: dialectus Insulae Franciae. Propter condiciones politicas, lingua Francogallica fit lingua administrativa, non solum in Francogallia, sed etiam extra fines. In Vallonia bilinguismus instituitur circa XIII saeculum.

Prima scripta Vallonica XVII saeculo apparent, textus maioris momenti XVIII saeculo: his temporibus Simon de Harlez, Iacobus-Iosephus Fabry, Petrus-Gregorius de Vivario et Petrus-Robertus de Cartier de Marcienne opera theatra conseribunt quibus titulus generalis est «Theatrum Leodiense».

Sed medio XIX saeculo lingua Francogallica magis magisque praestat propter incrementum institutionis, modorum communicandi, rerum administrativa-rum. Tunc temporis, in Francogallia sicut apud nos, dialecti dicuntur vulgares et nocivae; in scholis pueri, qui dialecto sua

loqui audent, puniuntur. Lingua Francogallica fit lingua materna in loco Vallonicae.

Hodie paucissimi iuvenes dialectum regionis suae adhuc sciunt. Ubique tamen associetas conduntur ad dialectos promovendas, quarum haec in sermonem Vallonicum fovendum incumbit: Centre de Recherche et d'Information du Wallon à l'Ecole, 9 rue du Beau-Mur, B-4030 Liège.

Francisca DERAEDT



# EX ORBE LATINO

## CONGRESSUS INTERNATIONALIS DIEBUS 9-14 M. MAI SERDICAE (v. SOFIA) CELEBRATUS

«Educatio artium humanarum et evolutio culturae Europaeae» titulus fuit congressus, in quem homines classicarum linguarum periti a plurimis Europae terris invitati convenerunt. Erant ibi hospites ex Anglia, Austria, Germania occidentali, Italia, Graecia, Dania, Unione Sovietica nec non Finnia. Scopus et finis participibus propositus erat de classicarum linguarum institutione consilia communicare, cum diversarum nationum repraesentatores de suae quisque patriae condicionibus narrarent. Instituerant congressum Serdicense Gymnasium Nationale linguis et culturis antiquis discendis, cuius nomini honoris titulus «Constantinus-Cyrrillus philosophus» adiungitur, Comitatus Bulgarorum Culturae fovendae Administrativus et Fundatio internationalis «Lyudmila Zhivkova».

Primus dies hospitibus accipiendis erat reservatus, qui in hospitio unionis professionalis «Bolana», amoeno extra urbem loco, commodissima cubicula habuerunt. Inauguratio sollemnis facta est in Universitate Serdicensi «Kliment Okhridski», quacum Gymnasium Nationale artissime collaborat. Autoraeda longa ab hospilio ad Universitatem advecti in aulae per magnificas scalas ascendimus, cuius in gradibus puellae, albis pelusis et gunnis nigris indutae, advenientes salutabant. Peregrini hospites in suggestu, apud mensam viridi veste tectam, iuxta cathedram sedes habuerunt. Primam orationem pronuntiavit Domina Gergina Tončeva, directrix Gymnasii admirabilis, quae hospitibus salutatis de suo Gymnasio et de artibus humanis, quomodo in Bulgaria se haberent, diligenter et subtiliter narravit. Postea acroases suas habuerunt G. Moraitis Graecus, A. Acciavatti Italus, C. Blüml Austriacus, F. Jorsal Danus, K. Lohe Germanus occidentalis, A. Ničev Bulgarus. Oratio mea fuit «Le Kalevala et la culture latine en Finlande». Variis linguis modernis omnia acta sunt, sed interpretes simul et statim dicta Bulgarice vertebant. Orationes vero Bulgaricae iam in antecessum litteris Germanicis, Anglicis, Francogallicis, Italicis aliisque translatae erant, ut peregrini rerum cursum continuo sequerentur. Summa cum cura et studio omnia erant praeparata. Aderant auditores circiter 250, inter quos Minister Culturae aliique summi administratores publici.

Post prandium, quod in refectorio Universitatis sumpsimus, in auditorio rursus convenimus, ut de linguae Graecae et praesertim Latinae institutione colloqueremur. Inter alia tum constitutum est, ut huius congressus participes, qui e diversis terris convenerant, comitatum constituerent, qui ad insti-

tutionem linguarum classicarum promovendam collaborarent et anno 1991 denuo Serdicae convenirent. Meo nomine proposui, ut omnis generis materia didactica inter scholas diversarum nationum commutaretur, ut melius quam antea sciremus, quid ubique ageretur aut iam actum in his rebus esset. A. Acciavatti, qui Lycei Classici «Bertrand Russel» in urbe Roma rector est, censebat maximi esse momenti etiam discipulorum et magistrorum inter nationes commutationem, qua amicitiae iungerentur et condiciones aliorum melius cognoscerentur. Quae proposita a praesentibus summo consensu accepta et probata sunt. In hoc colloquio mihi potestas data est etiam brevem extemporalem orationem Latine habendi, cuius haec fuit summa:

«In hodiernis condicionibus omnes linguae Latinae praeceptores identidem rationem de nostra disciplina et discipulis et eorum parentibus aliisque reddere debemus. Ne iustissimo iure vituperemur, quod mortuam et inutilem doceamus linguam, institutio nostra necesse est fiat viva, ita ut methodi nostrae ab eisdem modernarum linguarum non differant. Materia studiorum non solum ab antiquitate, sed etiam a Medio Aevo et e textibus modernioribus et hodiernis quoque repetenda est, ut omnes intellegant Latinae linguae usum ad patriae historiae fontes cognoscendos. Latine est etiam loquendum, ut vere fiat viva et vinculum inter gentes communionis.» E plausu auditorum percepi verba mea in bonam partem ab eis esse accepta. Diem clausit lauta cena in caupona «Sofia» sumpta, post quam ibidem usque ad tertiam vigiliam optima vina gustantes hilariter saltavimus.

Undecimus Mai mensis est dies festus Slavorum apostoli Cyrilli (qui rectius Constantinus appellatur) et eius fratris Methodi, qui alphabetum Slavicum et litteras priscas Slavorum, versis in eorum linguam quibusdam Scripturae Sacrae partibus et textibus liturgicis, annis circiter 855-864 creaverunt. Qui dies, ut par est, etiam Gymnasio, Cyrilli-Constantini nomine honorato, specialiter est festus et sollemnis. Convenimus mane in Gymnasio, ubi accepti sumus dulci cantu choralis puellarum. Paulisper in grapheo directricis Tončeva collocuti, egressi sumus in campum qui iuxta est, ubi omnes scholares per classes singulas iam erant ordinati. Chorus instrumentalis concinebat, directrix Tončeva classes singillatim salutabat, quae magna voce et more militari ei respondebant, orationes pronuntiabantur, stipendia optimo cuique e discipulis tribuebantur. Denique omnes Gymnasii professores et profestrices nec non et nos hospites a scholaribus multis floribus sumus decora-

ti! Deinde agmine facto omnes per Serdicam urbem ad monumentum Cyrilli et Methodi ambulavimus, ubi festum cum cantionibus et orationibus continuatum est.

Sanctis Slavorum ita honoratis transimus in Cathedralē Alexandri Nevski, cuius in crypta icones pretiosissimae erant expositae. Ibi chorus scholarium adolescentulorum Gymnasii Nationalis veteres Bulgarorum ecclesiasticas cantiones cantavit. Qua acroasi finita omnes una cecinimus «mnogoe leto», quae verba Bulgarica Latine reddenda sunt «in omnes annos».

Post prandium in caupona «Bulgaria» sumptum, brevi tempore interposito accepti sumus a Ministro Culturae Bulgarorum in eius Ministerio. Colloquium, quod ibi fiebat, ante ceteros relinquere coactus eram, nam mihi properandum fuit in Universitatem «Kliment Okhridsri», ubi iam quinta p.m. hora Latinam «De Kalevala carmine» orationem hominibus circiter quadraginta audientibus habui. Invitaverat me profestrix Margarita Taceva, quacum anno ante, cum Finnam visitaret, amicitiam iunxeram. Postea cenavimus Latine colloquentes cum professore Latino Demetrio Bojadziev aliisque in Universitatis refectorio, quo clauso convivium in caupona «Sofia» ad multam noctem chorizantes et latinizantes continuavimus.

Nimis multa paucis diebus evenerunt quam ut omnia in brevi spatio enarrem. Antea de Bulgaria, ubi numquam fueram, paucissima sciebam. Noveram quidem legionem Finnum annis 1877-78 in exercitu Russorum pugnavisse, ut Bulgaros iugo Turcorum liberarent, nam cantus militaris, qui de Finnis in montibus Balcanicis pugnantibus narrat, hodie quoque canitur et omnibus Finnis satis est notus. In

Feris Latinis Nicensibus anni 1987 Gymnasii Classici Serdicensis profestrices Nadinam Radeva et Lili Iordanova et cum eis Dominam Tonceva conveneram et bene memini me tum esse admiratum, quanta facilitate collegae Bulgariae Latine loquerentur. Novissimam eiusdem Gymnasii profestricem linguae Latinae, Milenam Minkova, apud monumentum Cyrilli et Methodi primum conveni et, quamquam mihi dixit se numquam antea viva Latinitate usam esse, de omnis generis rebus diu et iucundissime Latine colloquebamur, velutsi per annos inter nos noti ita locuti essemus. Mira est Latinitatis vis ad amicitias iungendas.

Maxima amicitia et summa humanitate hospites a collegis Bulgaris accepti sumus. Statim in aeriopu intellexi me in urbem rosarum, quibus Serdica clarissima est, venisse, cum Lili Iordanova rosâ porrectâ me una cum Margarita Taceva et Domino Atanasov, rectore Gymnasii vicario, salutavit. Grattissima memoria teneo etiam Dominum Bogdan Mircev et eius coniugem Krassi (ambo sunt linguae Germanicae professores), qui nos autoraeda sua vehebant et mirabilia suburbana, inter quae Monasterium Dragolevzi, nobis monstraverunt. Neque tacendum est de Albena Mirceva, linguae Graecae in Gymnasio profestrice, quae mihi fidelis fuit comes et dux itineris, ut iam domum profecturus recta via in aeriopu Serdicensem pervenirem.

Cum de Bulgaria in patriam revertissem et de facto itinere amicis narrarem, quaesivit a me collega Granvicensis, essetne verum, quod dici audivisset, feminas in Bulgaria esse omnium in Europa pulcherrimas. Rem verissimam esse confirmavi.

Thomas PEKKANEN  
Helsinkiensis

sequitur p. 1

aptam tantum valere, quantum doctoris P. C. Eichenseer.

Ultimum aestivum constitutum fiebat Nicaeae ubi (22-29 m. Aug.) Clemens Desesard Ferias Latinas ordinabat. Quamquam unum tantum diem mihi licuit interesse, mihi maximo gaudio fuit multos amicos Latinos iterum videre inter quos quattuor Finnos et Andream Bergère, qui fuse et scienter de lingua Aegyptiaca antiqua palam tractavit.

Aestas solet esse tempus itinerum conventuumque. Cum appropinquet hiems, cogitandum est de futuris inceptis praeparandis. Duae res mihi videntur esse maioris momenti. Imprimis programmata paedagogica cum efficacia tum iucunda conficere, recentissimis inventis technicis adhibitis. Postea, multa nova Latine scribere et operam dare ut augeatur numerus lectorum et subnotatorum periodicorum Latinorum; est enim conditio necessaria ut verum «prelum» Latinum, ut aiunt coevi nostri, crescere possit.



Prof. Valahfridus Stroh archischolarcha et Prof. Angelus Anglada inter Scholarum Frisingensium inaugurationem.



# Scientia politica

## DE COMMUNISMIS ORIENTIS VARIIS

Omnes qui nostro saeculo communistas se esse profitentur doctrinam Marxianam sequuntur, quare necesse erat principia illius doctrinae enarrare, id quod recenti articulo factum est. Tribus vero qui sequuntur articulis cum nobis agendum sit de partibus, quae ex illa doctrina evaserant, de communistis dico et de socialistis, nunc primum de communistis Orientis tractemus.

Vladimir Lenin quin revolutionem in patria sua fieri cupiverit eamque anno millesimo nongentesimo decimo septimo perfecit, dubium non est. Et postquam Unio Sovietica instituta est, facta est expropriatio in vastis Russorum finibus et novus conscribatur exercitus. Quod autem maxime nostra interest, videamus, res a parte communistarum in illo continente gestas dico.

Vladimirum Lenin mortuum sequebatur Iosephus Stalin, quem auctorem maxime persecutionis novimus: ipse enim contra partem suam eiusque membra inquisitionem fieri et permultos - qui se ipsi communistas, ut repetam, professi erant! - interfici iussit, postquam actio publica acta esset. Iosephus quoque Stalin quominus discussiones disceptationesve in parte sua fierent vetuit, quare dubitari non licet, quin dictator nobis sit nominandus. Mortuo autem Iosepho Stalin Cruscčev coexistentiam cum Occidente pacis plenam proclamavit, Brežnev vero nihil novi instituit - excepta certe invasione in Pragae urbem celeberrimam facta, qua doctrinam illam toti mundo demonstrabat quae tenebat intra fines communistarum nil fieri posse contra Mosčae moderatorum voluntatem. Nostris vero temporibus novum videmus moderatorem, a quo perestroicam quam vocant institutam esse dicunt homines, sed quid sit perestroica incertum esse videtur. Non enim agitur de commutatione rei publicae, non agitur de commutatione doctrinae Marxismi-Leninismi, non agitur de institutione novarum partium, de nulla alia re agitur nisi de ratione ac via, qua melior fiat oeconomia Unionis Sovieticae. Ut igitur repetam, neque sunt commutatae doctrinae abalienationis nec materialismi nec dialecticae materialisticae nec revolutionis per totum mundum faciendae: quod vero commutari cupit Gorbačev, id est ethica oeconomiae, ut par fiat oeconomia Unionis Sovieticae oeconomiae rerum publicarum in Occidente sitarum. Hic est solus finis peres-

troicae, neque est neque umquam erit alter finis! Videant igitur et Europaei et Americani et Iaponici et multi alii, ne quid detrimenti capiant suae res publicae!

Post bellum atrocissimum Exercitus Ruber invaserat multas Europae Orientis regiones et agebat, ut regimina everterentur. Sic in Hungaria Romania Bohemia Moravia Bulgaria Polonia Germania Orientali ceterisque regionibus instituta est nova res publica quae comprimebatur communistarum doctrina, et Velum Ferreum quod vocant dividebat Orientem Europae ab Occidente. Sed populi suppressi contra suppressores insurrexerunt, vide anno 1953 Germaniam Orientalem, anno 1956 Hungariam, anno 1968 Čecoslovaciam, annis 1956, 1970, 1981-1989 Poloniam.

Quid autem nunc fieri videmus? De perestroica in Unione Sovietica facienda iam actum est, sed addendum nobis esse videtur Ericum Honecker et Nicolaum Ceausescu numquam sinere velle perestroicam illam in regione sua fieri. Polonorum vero moderatores istis diebus novam institui operariorum unionem sinebant, Hungari etiam complures agere partes sinunt. Attamen sunt etiam communistae, qui veterem illam archaicam Marxismi-Leninismi doctrinam sequuntur, inter quos non pauci nominandi sunt. Albani enim in constitutione sua conscripserunt atheismum esse fundamentum rei publicae (vide constitutionis articulos tricesimum septimum et quinquagesimum quintum), Pragae moderatores etiam nunc persequuntur catholicam ecclesiam, dictator Coreae Septentrionalis nihil aliud fieri cupit nisi regimen communisticum a filio suo agendum - agitur igitur de monarchia communistica! -, dictator Aethiopiae rem publicam fieri communisticam cupit, Fidelis Castro in Cuba~~t~~ insula quamvis sine Mosčae pecunia non sit tamen perestroicam abominatur. Intellegant igitur homines et in Occidente et in Oriente neque umquam obliviscantur e communistarum doctrina et ex eorum rebus publicis maxima instare pericula, et fiant cautiore!

Guillelmus BLUM  
Monacensis